

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**1016**

**1014**

**1020**

**1010**

**1025**

**1005**

**1065**

**0965**

**1115**

**0915**

**0515**

**0015**

**Ende**

**Anfang**

**443**

mergebantur pro eo, quod humus erat limosa, et lutum densum  
et tenax, cui infigebantur cervi cum curru. Quod cernens  
Diana Herculem advocat in sui adjutorium, qui mox advocatis  
Titanis imperat eis jussis obtemperare Diana, quae uti viarum  
praeses et montium dea imperavit lutum terrae coagulari, et  
coagula sibi invicem superponi ab utraque parte, antequam in  
saxa per solem coquerentur. Sic ergo Titanis montium porta-  
tores magnis coagulis congestis ipsa coagula nondum decocta  
coacervaverunt ab utraque parte, et coagula inferiora pressa  
a superioribus ex pondere sunt facta extensiora, ita, quod in-  
fimus ordo coagulorum est latissime extensus, secundus minus,  
tertius adhuc minus, usque ad summum, in quo frusta et coa-  
gula videntur stare integra, et ita facta videtur esse illa via  
et coagulatio montium juxta viam; non enim sunt montes isti  
facti per coacervationem petrarum, sicut alii montes petrosi,  
sed per coagula terrae argillosae nondum desiccata et decocta,  
sed postea indurata. Et in hac fabula videtur montium isto-  
rum figura. Igitur nobis procedentibus per longam illam vallem  
vidimus turbam magnam hominum cum mulieribus et parvulis,  
cam camelis, asinis et equis ad radicem montis stare paratos  
nobis occurrere. Cum autem eis appropinquavissimus, proces-  
serunt viri in occursum nostrum cum iracundis gestibus et  
vocibus et accurentes invaserunt primo camelos et disligantes  
onera solverunt et unum de saccis paximatiorum sciderunt pa-  
ximatesque in terram fuderunt in impetu, quos foeminae eorum  
et pueri collegerunt, et ad haec dissimulaverunt nostri ductores  
et quidam de nestris camelariis eos detrahere spolia juverunt.  
Dum autem nostri ductores clamores nostros non animadver-  
terent et nostra paulatim dispergerentur, accurrimus nos et  
sacos paximatiorum de manibus eorum evulsimus vi et eis  
durum et audacem vultum ostendimus. Hoc autem cum vidis-  
sent, cessaverunt a violentia et in Calinum conversi cum eo  
durissime litigaverunt, puto, quod eum invaserint, quia nos eis  
resistere permiserit. Attraximus autem omnes res a camelis  
dejectas ad nos et armata manu circumstetimus ad custodien-  
dum, mulieribus tamen et infantibus accurrentibus panes non  
denegavimus. Calinus autem hortabatur nos, ne tenaces esse-  
mus, sed inter nos taxam poneremus, qua quilibet peregrinus

